



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Hieronymi Stridonensis, Sanctae Romanae
Ecclesiae Presbyteri Cardinalis Epistolae In Tres Libros
distributae**

**Hieronymus, Sophronius Eusebius
Coloniae Agrippinae, 1674**

XXIV. Ad Apronium. Nescio quâ tentatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37862

30 D. HIERON. EPIS. quibus in præsentiarum aut credendum erat, ac certè quotidie non lingua, sed gladius dimicandum. Quanta autem passi sumus, & quomodo excelsa manus Christi pronobis in hostem sævierit, puto te celebri nuntio omnia cognovisti. Quæso ergo te, ut arreptum opus impleas: ne patiaris te præsente non habere Christi Ecclesian defensorem. Certè scit unusquisque, quod vel tibi sufficiat pro virili parte: quia non viribus corporis, sed charitate animi dimicandum, quæ superari nunquam potest. Sancti fratres, qui cum nostris sunt parvitate, plurimum te salutant. Puto autem & sanctum fratrem Alentium diaconum tuæ dignationi cuncta narrare fideliter. In columem te & memorem mei Christus Dominus noster tueatur. omnipotens, Domine verè sancte & suspiciend frater.

XXIV. Hieronymus Abronio. Narrat de persecuzione hereticorum, in qua commen dat Apronij constantiam, & suam ostendit calamitatem.

Nescio qua tentatione diaboli factum sit, ut & tuus labor, & sancti Innocentii presbyteri industria, & nostrum desiderium ad præsens nequam videatur habere effectum. Deo gratia, quod te sospitem fidei calore ferventem, inter ipsa testamenta diaboli cognovi. Hoc meum gaudium est, quando in Christo audio filios meos dimicare: & istum zelum in nos ipse confirmet, cui creditur.

dimus, ut pro fide & ius sanguinem voluntariè fundamus. Eversam nobilem domum funditus doleo: & tamen quid in causa sit, scire non potui. Neque enim postitor literarum scire se dixit. Unde dolere possumus pro amicis communibus & Christi, qui solus potens & Dominus est, & ejus clementiam deprecari: licet ex parte Dei mereamur offendam, qui inimicos Domini soverimus. Optimum autem facies, si cunctis rebus omissis, Orientem, & præcipue sancta loca petas: hic enim quieta sunt omnia. Et licet venena pectoris non amiserint, tamen os impietatis non audent aperire: sed sunt sicut aspides surdæ, & obturantes aures suas. Sanctos fratres saluto. Nostra autem domus secundum carnales opes hæreticorum persecutionibus penitus eversa, Christo propitio spiritualibus divitiis plena est. Melius est enim panem mendicare, quam fidem perdere.